

022

020

026

016

031

011

071

121

521

Ende

Anfang

11

sensibiliter in praedictis fontibus operatur, sol vero aeternalis Christus Jesus in hoc fonte invisibiliter mirabilia operatus est et operatur.

Secundo dicitur hic fons a Christianis fons beatae Virginis, cuius meritis de terrae penetralibus erupisse creditur, qui omnibus pro diversitate aegritudinum praestat remedium salutare, et opitulans infirmitatibus variis excedit fontes caeteros inclita fama, sicut Virgo beata a nullo illustrium vincitur, secundum Damas. Excedit hic fons Mesopotamiae celeberrimum apud veteres fontem, qui carminibus poetarum ingentium virtutum esse praedicatur, utpote quia aquae ejus salutares et jocundae erant super omnes mundi aquas, cuius causam assignabant, quia Juno quae regina deorum dicebatur in eo fonte se laverit. Si ergo lavacrum Junonis, quae erat regina falsorum deorum, hominum vitiosorum et damnatorum, et cum hoc erat coitu incestuoso proprii fratris Jovis inquinata, tantae credebatur virtutis ex contactu corporis meretricis; quid nos credere decet de illo fonte, in quo lota est regina vera caelorum? Quantam virtutem accepit ex contactu virgineae carnis Dei geneticis? Credo hunc fontem ex contactu virginei corporis accepisse virtutem fontis Cizionis, quem etiam nominant fontem Cupidinis, de quo qui biberit, incendia Veneris in eo extinguntur, refrigeratis cestibus carnis; in illo vero extinguntur incendia Veneris et incentiva voluntatis.

Tertio dicitur fons Joseph, quia eo primus usus in domestica provisione et primo post puerum Jesum et Virginem matrem virtutes hujus aquae expertus est. Puto enim hunc fontem non minoris esse virtutis, quam fontem Tima, qui in specu Apollinis originatur, de quo dicitur, quod qui ex eo biberit, ei miranda revealantur oracula, sed ejus breviatur vita. Et quis dubitat, castissimum Josephum plurimum illustratum de secretissimis caelestium arcanis, ita, ut sibi nihil in hoc mundo placeret, ac si bibisset de fonte Arcadiae, Clites dicto, de quo fertur, quod qui ex eo biberit, odium praesentis vitae habere incipit. Sunt et in eadem regione duo fontes in uno campo, unus habens aquas oblivionem omnium facientes, alter habet aquas, quae memoriam tenacissimam faciunt. Sic Joseph, obliviousus quae retro erant, ad anteriora se extendit, Philipp III., ac si duobus illis fontibus potatus fuisset. Juxta hunc fontem tam Joseph quam Maria in

